

DE
MELANOSI PULMONUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI

UT SUMMI

**IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. FEBRUARII ANNI MDCCCXXXVIII

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRIDERICUS AUGUSTUS LUENING,

GUESPHALUS.

TURICI

APUD FRANCISCUM HOFFMANNUM

MDCCCXXXVIII.

DE MALA MENTIS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

Non est in medico, semper relevetur ut aeger,
Interdum docta plus valet arte malum.

P. OVIDIUS NASO.

DE CAUSIS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS

DE CAUSIS

DE CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

DE CAUSIS

PATRI OPTIMO

JOANNI FRIDERICO LUENING,

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Melanoseos pulmonum casus, quem observandi aestate praeterita in hospitio publico Turicensi occasio mihi erat, notatu dignissimus, quum celeberr. SCHOENLEIN, aegro nondum mortuo, malum dignosceret, me permovit, ut accuratius, quae rerum medicarum scriptores hoc de morbo disseruerint, perscrutarer; sed parum aberat quin immensus medicorum hac de re dissensus, atque exigua processus melanotici notitia, quae exstat inter medicos, me deterreret, quominus viribus meis tenuissimis fisis ad litem illam componendam et ad melanoseos indolem clarius explicandam parvula quaedem in medium afferre auderem, nisi fore speravissem, ut pulmonum melanoseos signis, a cl. SCHOENLEIN sagacissime constitutis, promulgandis novi quiddam cum medicis communicarem. Cl. SCHOENLEIN, benignissime mihi concedenti, ut casum illum enarrarem, gratias agò quam maximas.

Ceterum maxime doleo, quod melanosium a me observatarum adumbrationes libello huic adjungere nequeam, quum

casus illius praeparata nulla in museo anatomico-pathologico
Academiae Turicensis servarentur.

Ut tu, lector benevole, has studiorum primitias indulgenter
excipias, vehementer rogatum te habeo.

~~PRÆFATIO.~~

Melanosis pulmonum casus, quos observavi, notatis
 quædam in hospitali Turicensi occurrere mihi erant notatis
 dignissimas, quum celeberrimus Serravallo, sæpe notum
 malum demonstraret me permovisset, ut accuratius, quædam
 medicorum scriptores hoc de morbo dissertationes perscrutarer.
 Sed parum abest quin immensus laborum hæc de re discere
 sine exitu processu melancholico, quæ erant inter me-
 dico, me detereret, quominus vitibus meis tenuissimis hæc ad
 rem hanc componendam et ad melanosis indolem clarius
 exhibendam parulis quædam in medium afferre auderem, nisi
 fore sperarem, ut immensum melanosis signis a Serravallo
 sequestrare constituta, promulganda non quidam cum modis
 communicarem. Cui Serravallo, humanissime mihi concederet
 ut eorum libris operaretur, gratias ego quam maxime
 Colatum munus dabo, quod humanitatem a me oblatam
 erga dignitatem libris suis affugere non poterit.

De melanosi pulmonum.

§. 1.

Historia, descriptio anatomica, divisio.

Jam saeculo praeterlapso passim medicorum in scriptis singulos melanosis casus observatos, sed haud accuratius descriptos invenimus, ut praecipue apud MORGAGNI 1), et apud HALLERUM 2); sed sagacitati versutissimi LAENNEC 3), qui de pectoris morbis indagandis optime meruit, est reservatum, ut melanosin ut propriam morbi formam in pathologiam introduceret, ejusque characteres anatomicos diligentissime describeret. Secundum illum *melanoses sunt pseudoplasmata quaedam cancerosa, constantia ex pigmento proprio et ex nova textura (tissu accidentel), cui non sit analogon in sani corporis humani texturis.* Duo melanosium stadia distinguit, *stadium cruditatis et stadium mollitiei.* In stadio cruditatis melanosibus est consistentia telae glandularum lymphaticarum, color niger, textus homogeneus, subhumidus, pelluciditate carens. In stadio mollitiei ab initio pressu liquor rubellus exstillat, corpusculis modo satis duris, flaccidis, modo friabilibus mixtus, quae corpuscula

1) De sedib. et caus. morb. Ep. IV. n. 4. Ep. VII. n. 11. Ep. XXXVIII. n. 10.

2) Opusc. patholog. obs. XVII.

3) Bulletin de Pécole et de la société de médecine. 1806. No. 2. pag. 24—26. Traité de l'auscult. médiat. 4. Ed. Paris 1837. T. II. pag. 312, sqq.

postea simul cum tota massa melanotica marcescunt, tandem in pulvem nigram sese commutant.

Cl. LAENNEC has melanosis species enumerat atque describit:

1) *Melanosis cysta inclusa*. Cystae rotundae, ab avellanae usque ad nucis juglandis magnitudinem, quarum crassitudo non superat lineam semis; constant tela cellulosa, et ad organum, in quo se evolvunt, et introrsum ad materiem pathicam, quam gignunt, sunt affixae tela cellulosa tenerrima.

2) *Melanosis cysta carens*. Quae producta spuria multo frequentius occurrunt, sunt a grani milii usque ad ovi gallinacei magnitudinem, forma irregulari, nunc artissime cum organo, in quo oriuntur, conjuncta, nunc tenera tela cellulosa, ita ut haud difficulter a partibus ipsa circumdantibus integra segregentur.

5) *Melanosis infiltrata s. induratio nigra (infiltration des organes par la matière des mélanoses)*. In organi parenchymate atque in interstitiis molecularum ejus huc illuc initio punctilla striaeque nigrae oriuntur, sensim pedetentimque normalis organi textus deficit, tandemque prorsus evanescit; nunc vel jam paulo prius materies infiltrata incipit mollescere. Ab hac melanosis specie cl. LAENNEC diligentissime materiem nigram pulmoneam dignoscere quaerit, quam in pulmonibus fere omnium hominum adultorum inveniri dicit, simul cum aetate crescere, initio pulmonum parenchymati colorem griseum, magis magisque nigrescentem attribuere; eam pulmones nec aëri impermeabiles, nec omnino duriores reddere, hanc depositionem vel cum perfecta pulmonum valetudine posse convenire. Res vero illi non processit, ipse confitetur, diagnosin multis in casibus difficillimam esse, vel fieri non posse, dicens, tubercula evoluta atque excavationum tuberculosarum cicatrizationem efficere majorem pigmenti nigri depositionem, pulmonum impermeabilitatem aëri, texturae flacciditatem insigni duritiei conjunctam. Quae fieri possunt sed rarius; in plerisque me-

lanosis infiltratae casibus clari ANDRAL 1) opinionem amplectimur, indurationem pulmonis nigricantis non pendere a materie nigra ipsa deposita, sed fere a pneumonia chronica praecedente. Discrimen ergo, quod LAENNEC inter melanosin infiltratam et materiem nigram pulmonarem statuit, est nullum, qua de re melanosin infiltratam melanosibus proprie sic dictis adnumerare non possumus.

4) *Melanosis membranacea* (*mélanoses déposées à la surface d'un organ*). Apparet specie macularum minorum striarumque atrarum praecipue in membranarum serosarum superficie, in peritoneao crassitudine saepe plures lineas aequans. Secundum ANDRAL 2) autem haec melanosis membranacea tantum nigro colore prae ceteris tunicarum serosarum membranis spurii eminet; et ipse LAENNEC notationem „*melanosis*” huic formae non aptissimam sensisse videtur, eam quidem in melanosium numero referens, sed in loco longe alio 3), in capitulo, quo de pleurae productionibus accidentalibus disserit, eam describens. Quibus ex causis movemur, ut his quoque productionibus nomen melanosis omnino denegemus.

Maxima laus clario LAENNEC debetur, quod melanosin ut propriam morbi formam sui generis statuerit, ejusque indolem cancerosam recte designarit; in adumbrandis vero melanosin speciebus ejusdem notionem finibus haud satis arctis cinxit, pigmenti nigri non organici depositionem, cui cum degeneratione cancerosa nihil est commune, quaeque, nisi cum aliis processibus pathicis est complicata, organi quo se evolvit sanitatem perturbare prorsus nequit, in melanosium numero habens.

1) Grundriss der pathol. Anal., übersetzt von Becker. Reutlingen 1832. I. Theil. p. 351.

2) l. c. pag. 353.

3) Traité de l'ausc. méd. t. II. pag. 675.

Multum vero aberat, ut illius successores errorem commissum intelligerent, sed vel evenit, ut plerique eorum *ex parte* temere tantum *vitiosam* descriptionis clari LAENNEC partem apprehenderent, ita ut, quacunq̄ue pigmentum nigrum morbose erat depositum, melanosin statuerent, qua re necessario sequebatur, ut melanosibus nec texturam organicam, nec indolem carcinomatosam attribuire possent, — *ex parte* vero, cum cancerem verum, vel fungum medullarem, vel similia heteroplasmata maligna colore subnigro ante oculos haberent, confestim processus melanotici cum cancroso complicationem ponerent, cum illo sarcomatis medullaris etc., opinantes, et clarum LAENNEC et scriptores illum secutos, ejusmodi complicationem cum melanosi nova textura et natura maligna insigni permiscuisse. Ad ea, quae modo diximus, probanda hisce utemur exemplis:

Cl. BRESCHET¹⁾ ait, melanoses esse secretionem pathicam productas, quibus non sit textus organicus, solo sanguine formari, qui mutationem quandam subierit, eumque sanguinem jam in ipsis vasis commutatum per modum secretionis vel potius transsudationis in organorum parenchymate deponi, simili ratione, ut in materie nigra choroïdeae discernenda et Aethiopiae in cute fiat. Saccus melanosium cysta inclusarum secundum illum non est membrana peculiaris, sed nil nisi tela adiposa condensata, op̄e telae cellulosaе tenerrimae cum parenchymate organi, quo melanosis oriatur, concreta. Ne miremur, quod BRESCHET, talem de natura melanosis sententiam prae se ferens, quintam melanosis speciem proponat, *melanosin liquidam*, quam his ex casibus constare dicit:

¹⁾ Considérations sur une altération organique, appelée dégénérescence noire, mélanose, cancer mélané etc. Journ. de physiol. expériment. par Magendie. 1821. t. I. pag. 354 sqq.

1) Vomitus fusco-nigrarum, caldae cacaoticae similium massarum, ut accidit in ventriculi degeneratione carcinomatosa.

2) Liquoris atrii depositio in cavo abdominis effecta peritonitide chronica.

3) Casus urinae morbose nigrae, qua cl. PROUT¹⁾ acidum proprium detexit, cui nomen *acidi melanici* dedit.

4) Liquidum nigrum cysta peculiari fibrosa contentum, quod TROUSSEAU et LEBLANC²⁾ apud equos descripsere.

Cl. ANDRAL³⁾ fere ubique claro BRESCHET assentitur; ille quoque melanosibus texturam novam denegat, eas tantum pigmenti depositione non organica consistere putans. Nunquam melanoses cysta circumdatas conspexisse profitetur.

Cl. CRUVEILHIER⁴⁾ ambobus modo allatis popularibus ipsius de processus melanotici indole maligna non agnoscenda convenit; quia fluidum in haematemesi effusum pro liquido melanico habet. Melanoticarum concretionum texturam hisce verbis depingit:

„Le tissu mélanique est un tissu fibreux aréolaire dont l'aspect nacré tranche avec la couleur noire du pigmentum. Lorsque le pigmentum est liquide ou boueux, on l'exprime comme d'une éponge; et si on soumet à l'action d'un jet d'eau continu un fragment de mélanose, on éprouve beaucoup de peine à le débarrasser de toute la matière noire; la trame qui reste présente un aspect aréolaire et fibreux tout-à-fait semblable à un fragment de rate soumis à la même action.”

LAENNEC illi tantum *cancerem nigrum s. melanicum*, nullo modo vero melanosin tota *etymologica verbi significatione*, nempe

¹⁾ Schweigger's Journ. f. Chemie. Vol. 36. pag. 388. sqq.

²⁾ Archiv. général. de Médecine. Juin 1828.

³⁾ Grundr. der pathol. Anat. I. Thl. pag. 351 sqq.

⁴⁾ Anat. pathol. du corps humain. Paris 1833. 19me Livraison pag. 3 — 6.

sensu latissimo *coloris nigri morborum* (*coloration noire accidentelle*) in descriptione respexisse videtur; quod quidem LAENNEC nunquam contendit, sed potius expressis verbis talem melanosis notionem extendendam refutavit.

Medicorum Germanicorum J. FR. MECKEL, vir alias tam egregius, primus fuit, qui accuratius hanc in materiem est ingressus, sed eundem commisit errorem, quem medici Franco-gallici modo dicti, ex parte melanosibus structuram propriam omnino denegans, ex parte eas cum pseudoplasmatibus confundens, quorum a melanosibus diversitatem jam LAENNEC dilucide ac sufficienter explicuerat; verba ipsius sunt haec¹⁾: „*der Blutschwamm ist höchst wahrscheinlich mit Laennec's Melanose und Abernethy's tuberculosem oder Marksarcom, Laennec's Encéphalois, Monro's fischmilchähnlicher Geschwulst der Schleimhäute völlig eins.*“

Similem opinionem PII. a WALTHER²⁾ amplectitur in tractatu claro de induratione, cancro etc.: „*Bei den Melanosen, inquit, ist die schwarzgefärbte flüssige oder halbflüssige Substanz nur im Parenchym der Organe enthalten, ohne mit ihm gänzlich verschmolzen zu sein, oder einen Theil des Parenchyms selbst auszumachen. — Man findet in den Melanosen keine Spur von Organisation, weder Gefäße, noch Zellstoff, am wenigsten Nerven. Allein die schwarze Masse ist theils im Zellgewebe, welches zu Balgmembranen verdichtet ist, eingeschlossen, theils ist sie um die Gefäßmündungen herumgelagert, und diese verlieren sich in sie hinein, wie es scheint, mit offenen Mündungen, ohne sich nämlich als solche in sie fortzusetzen.*“ —

¹⁾ Handbuch der pathol. Anat. von J. Fr. Meckel. Leipzig 1818. 2. Bd. 2. Abthl. pag. 297.

²⁾ Journ. d. Chir. und Augenheilkunde von Gräfe und v. Walther. 5. Bd. 4. Heft. pag. 564.

Plus minusve et cl. HEUSINGER¹⁾ his autoribus consentit, ita hac de re disserens: „die mehr oder weniger consistenten Theilchen von Melanosen sind mit Schichten von Bildungsgewebe umgeben, wie die Fetttröpfchen oder Fettkügelchen, die dann zu grössern Massen mit einander verbunden werden, wie ebenfalls das Fett; diese grössern traubenförmigen Massen hingen gleichsam wie an einem Stiel, in welchem Gefässe laufen. Die schwarze Masse selbst zeigt keine Spur von Organisation.“

MARTIN-SOLON²⁾ in melanosi describenda prorsus opiniones a viris claris BRESCHET et ANDRAL propositas sequitur.

Praeclarus LOBSTEIN³⁾ duobus a celeb. LAENNEC institutis stadiis cruditatis et mollitiei tertium semi-liquefactionis (demi-liquefaction) tum addit, si tota massa melanotica prorsus fit friabilis in pulvem nigram sese commutans. Melanosium natura cancerosa negata ille ait: „die Bildung der schwarzen Materie scheint mir das Resultat einer Blutstasis im Capillargefässsystem, und einer chemischen Veränderung in dieser Flüssigkeit zu sein. — Die Melanose ist keineswegs ein pathologisches Produkt sui generis, sondern eine einfache Schwarzfärbung bald eines gesunden, bald eines alterirten, und bald eines accidentell entwickelten Gebildes, wozu z. B. das speckige, das krebshafte und das hirnhähnliche gehören, — und LAENNEC endlich ist sehr im Irrthum, wenn er die Melanose für ein besonderes pathologisches Gebilde hält.“

HOPE⁴⁾ confirmat ea, quae ANDRAL affert; is quoque nunquam melanoses cysta inclusas vidisse dicit: „Cysts are very

1) Untersuchungen über die anomale Kohlen- und Pigmentbildung. Eisenach 1823. pag. 94.

2) Dict de médecine et de chir. pratiques. Paris 1834. t. XI. Art. mélanose.

3) Lehrb. der pathol. Anat. Deutsch bearbeitet von Neurohr. Stuttgart 1834. I. Bd. pag. 392 sqq.

4) Principles and illustrations of morbid anatomy. London 1834. p. 49.

rare. LAENNEC met with them only in the lungs and the liver, and but with one in the former. BRESCHET has seen them in the cellulare tissue. ANDRAL has never been so fortunate, nor has it occurred to myself."

DLAHEY 1) de melanosi liquida, forma, quam LAENNEC recte non agnoscit, ita disserit: „quicumque autem, quod novissimae confirmare videntur observationes, eam qua simplicem agnoscit anorganicae materiei colorantis depositionem, hic profecto formam ejus fluidam non difficiliter concipiet ac formam compactam." —

Saniori de melanosium indole atque structura favet cl. WILLIAMS 2), dicens: „Die Materie der Melanose oder der schwarzen Tuberkeln kann in dem Gewebe eines Organs infiltrirt vorkommen, oder in umschriebenen Geschwülsten oder Ablagerungen von einer unregelmässigen, zelligen Organisation. Die schwarze Materie scheint eine Modification des Färbestoffes des Blutes zu sein, bei welcher er entweder Kohlensäure im Ueberschusse, oder im freien Zustande enthält. Das organisirte Gewebe der Melanosen, der Tuberkeln und Geschwülste zeigt eine grosse Mannigfaltigkeit in dem Grade seiner Vervollkommnung, indem es zuweilen den vitalen Produkten der Entzündung nahe kömmt, zuweilen aber auch sich nicht über die unorganische Struktur der skrophulösen Tuberkeln erhebt." Ex quo patet, autorem saltem extra fines terminosque a LAENNEC melanosibus constitutos non egredi, reliquorumque scriptorum idearum de melanosi vagarum non esse participem. Quae autem affert de acido carbonico qua melanosis elemento essentiali, inanis est hypothesis analysisibus chemicis reprobata.

Progressus majoris momenti ad fines melanosis coërcendos

1) Diss. de melanosi. Viennae 1834. p. 8.

2) Pathol. und Diagn. der Krankheiten der Brust. Aus dem Engl. nach der 3. Aufl. von Velten. Bonn 1835. p. 160.

accuratiusque constituendos ab ED. SCHILLING¹⁾ eo est factum, quod omnes species varias hucusque melanosium nomine communi descriptas in partes duas diligenter segregatas divideret, in melanosin benignam et in melanosin malignam. Huic solas primas melanosis species duas a LAENNEC institutas adnumerat, earum vero singularibus quodammodo modificatis. Melius etiam fecisset, si, ad omnem confusionem exterminandam, casibus, quibus benignae melanosis dat nomen, melanosis significationem prorsus eripuisset; his enim formis nec structura nec indole ne minima quidem similitudo est cum illius melanosi maligna, quam solam nos posthac melanosis nomine complectemur. Illius divisio ac descriptio est haec:

1) *Melanosis benigna*. Qua notatione intelligit omnia pigmenti nigri secretionis anomaliae exempla, nisi simul nova ista textura appareat melanosi malignae propria; huc pertinet: pigmentum nigrum depositum in glandulis bronchialibus, materiae nigrae depositio in hominum aetate provectorum pulmonibus, clari LAENNEC melanosis dispersa (infiltrata) et membranacea, tandem omnes casus, quibus pigmentum nigrum cum pseudoplasmatibus, praecipue cum fungo medullari, sese conjungit. Quibus melanosibus non est forma circumscripta, forma potius ad organum, cui secretio illa inhaeret, se accommodat; earum sedes est tela cellulosa, quae organorum in parenchyma penetrat. —

2) *Melanosis maligna*: non solum apparet pigmentum nigrum ut secretio pathica, sed etiam textura nova intime cum illo connexa.

a) *Melanosis tuberculosa*. Ad quam describendam SCHILLING hisce utitur verbis: „apparet in tumoribus propemodum rotundis aut ovatis, plane circumscriptis, singulis aut ad summum accumulatis, nunquam inter sese concretis; tactui tumores illi duri atque quodammodo lubrici esse videntur, plerumque colore

1) Diss. de melanosi. Francofurti a. M. 1831.

nigro seu fusco infecti, circumdantur cysta cellulosa, quae in substantiam morbosam interiorem sese producit. Cystae haud raro vasa sanguifera insunt." — Quid attinet ad stadium cruditatis et mollitiei, SCHILLING eorum ordinem invertere quaerit, plerumque stadio mollitiei stadium cruditatis praecedente; eo maxime nititur, quod vel melanoses minimas, magnitudine acus capitulum non superantis, mollitas, majores vero nunquam hoc in statu repererit, exceptis melanosibus in venarum majorum vicinia et iis ovariorum. Sed observatio nostra, quam mox enarrabimus, hanc hypothesin impugnat, nam ipsos majores bronchiorum ramos versus, ubi massae melanoticae erant copiosiores et majores, et nullo alio loco, istae passim diffluxere. —

b) *Melanosis fungosa s. sarcomatosa.* SCHILLING „huic melanosis formae," inquit, „massae grandiores, quarum superficies uvarum instar in plures lobos divisa est; *semper autem sacco quodam tenero circumdatae sunt*, qui in intimum tumorem multifariam producitur, et per quem pigmentum atrum pellucet. Ab initio interdum nil nisi macula nigra, plerumque autem ejusdem coloris verruca adest; in vicinia primae verrucae ejusmodi novae et majores oriuntur, magis magisque crescunt, donec in basi una cum aliis ita confluent, ut non nisi in superficie incisionibus plus minusve profundis a se invicem separatae appareant." — Tum ait, texturam interdum massam homogeam nigram vel fuscam praebere, interspersis telae cellulosa virgis, plerumque autem duabus constare substantiis, extrinsecus pigmenti nigri strato, intus rubella materie sarcomatosa. Denique SCHILLING exempla affert ad firmandam sententiam suam, melanosis fungosam in ulcerationem prorsus non inclinari, morte fere accedente priusquam illa oriri possit. In hac melanosis forma vasa sanguifera, non solum in integumentis, sed quoque in ipsis massis melanoticis, inesse, observationibus cl. SCHILLING sicut virorum celeb. CULLEN et CARSWELL ¹⁾ confirmatur. Dolen-

¹⁾ Transact. of the med. chir. society of Edinburgh. 1824. pag. 278.

dum est, quod cuncti hi indagatores vasa ista non injecerint; sola enim injectio de vera illorum natura argumentum præbuisset, cui resisti non posset. —

Ex causis modo dictis elucet, nos tantum celeb. LAENNEC *melanosin in massis* (enkystée et non enkystée), et Ed. SCHILLING *melanosin maligniam* (tuberculosam et fungosam) ut veram melanosin accipere, quippe quae est distincta textura nova characteristica, colore rubido-fusco vel profunde-nigro, et indole canerosa. Quod attinet ad duas clari LAENNEC species, nos non sumus propensi ad discrimen essentielle inter eas agnoscendum; LAENNEC differentiam primariam in cysta praesenti aut absentia quaerit, quae vero semper, etsi aliis casibus multo tenerius et haud tam perspicue quam aliis, adesse videtur; ipse LAENNEC, de melanosibus cysta secundum illum non inclusis disserens, confitetur: 1) „quelquefois cependant elles leur (partibus, in quibus sese evolverunt) sont unies par un tissu cellulaire visible, quoique fin, et qui permet de les détacher sans rien rompre.” Quod fieri non posset membrana eas circumdante deficiente; annon tenera ista tela cellulosa ejusmodi est membrana? Nostrae opinionis firmamentum et eo invenimus, quod cl. SCHILLING, cujus melanosis fungosa plus minusve cl. LAENNEC melanosi cysta non inclusae conveniat, ei tamen integumentum saccum tenerum constantem vindicat. Alia quae LAENNEC profert discrimina, noris sunt momenti, ea tantum respiciunt magnitudinem, formam regularem, accumulationem, frequentiam, quae nos movere nequeunt ad melanosis species duas diversas recipiendas. Ast etiam duae a SCHILLING constitutae melanosis malignae species, cum accuratius eas intueamur, essentialiter a se invicem distinctae non videntur; discrimina majoris momenti, quae statuit, sunt haec: melanosis fungosa format massas grandiores, ejus

1) Traité de l'ausc. méd. t. II. pag. 315.

superficies uvarum instar in plures lobos est divisa, dum in melanosi tuberculosa tumores sunt rotundi, circumscripti, non inter se concreti; sed paulo post commemorat, adspectum uiformem melanosis fungosae eo nasci, quod primae verrucae in vicinia ejusmodi novae pullulent, magis magisque crescentes, denique in una basi secum confluentes. Perinde atque in exanthematum acutorum speciebus constituendis non magni refert, utrum singula exanthemata inter se confluant necne, aequae hic symptoma istud majoris ponderis esse nequit. Signum quoque melanosis fungosae, quod porro affert, plerumque stratum externum ex pigmento nigro, internum ex massa quadam rubida, sarcomatosa constare, semel per se ipsum non est decernens, et tum imprimis idcirco, quia ne constanter quidem invenitur. Praeterea nobis est commemorandum, in casu, quem observandi in nosocomio Turicensi occasio nobis datum est, massas pulmonum melanoticas alia melanosis tuberculosae alia fungosae symptomata ostendisse, quae postea enarrabimus.

Quibus variis rationibus movemur, pro praesenti factorum anatomico-pathologicorum statu, ut tantum unam melanosis speciem, duas cl. LAENNEC melanosis in massis species, et cl. SCHILLING melanosis tuberculosam fungosamque, in se continentem statuamus. Cujus vero signa anatomica sunt haec: melanoses sunt massae modo rotundae, modo ovatae, modo irregularioris formae, fuscae vel atrae, a grani milii usque ad ovi gallinaei magnitudinem; vel sunt tumores circumscripti, vel uvarum instar (quod quidem in pulmonibus adhuc non est observatum) inter se connexi; carent pelluciditate; digito eos tangenti ab initio duros, paullulum lubricos sese ostendunt, postea, cum molliantur, ad pultis similitudinem; semper nunc magis nunc minus perspicua cysta cellulosa sunt circumdati, cui haud raro vasa sanguifera insunt; cystae tela cellulosa processus in medium tumoris emittit, qui ejus sectioni adspectum quasi

fibrosam impertiunt; sed vasa quoque a membrana circumvelante introrsum procedere videntur; saltem clari NOACK ¹⁾, qui pluribus in tumoribus melanoticis plexus venosos ipsum lucide distinxisse dicit, et virorum praeclarorum CULLEN et CARSWELL ²⁾, qui vasa sanguine rubro impleta in ejusmodi tumoribus mesenterii animadvertabant, observationes hanc sustentant sententiam. Interdum stratum externum est nigrius, internum rubrius, interdum tota massa est homogonea, a fibris telae cellulosae vel a vasis sanguiferis ³⁾ permeata. Tumore melanotico leniter presso, liquidum rubidum vel nigrum exstillat, quod chartae albae vel cuti illitum eas atramenti Chinensis colore inficit; quod vero pigmentum aqua facili negotio ablui potest. Illo cum liquido corpusecula minora, flaccida, duriora sunt mixta, quae mox fiunt friabilia. Denique tota massa melanotica in pulvem atram commutatur.

Tumores melanotici, qui in pulmone oriuntur, omnino cum melanosium descriptione universali, quam modo praestitimus, congruunt; ibi in pulmonibus tam facile agnoscere possunt, ut tantum cum glandulis bronchialibus pigmento nigro coloratis permisceantur. Quo pertinet quod ANDRAL ⁴⁾ dicit: „Pour éviter cette erreur, il faut se souvenir, que ces glandes sont petites, rapprochées des bronches, que leur surface est très-lisse, et que leur intérieur offre rarement une couleur noire bien uniforme, et que le liquide qui en suinte n'est pas poisseux; il colore à peine le doigt qui le touche, ce qui est bien différent de cette teinte d'encre de Chine, que la mélanose laisse sur la peau qui est en contact avec elle.”

Qua in re et ANDRAL consentimus, id solum adjicientes,

¹⁾ Comment. veteran. med. de melanosi. Lips. et Paris. 1826. Tab. II. fig. 1. Tab. III. fig. 3.

²⁾ Transact. of the med. chir. society of Edinb. 1824. pag. 278 sqq.

³⁾ Lobstein: Lehrb. d. pathol. Anat. I. Bd. pag. 396.

⁴⁾ Cours de pathol. interne. Paris 1836. t. 1. pag. 421.

massas pulmonum melanoticas modo in superficie, ita ut per pleuram pulmonalem colore caeruleo pelluceant, modo penitus in eorum parenchymate evolvi.

§. 2.

Analysis chemica.

Hic quoque LAENNEC¹⁾ iterum primus fuit, qui analysin, eam quidem per professorem CLARION institui jussit; cui cum credamus, melanoses propemodum omnino ex albumine et ex pigmento singulari constant.

THENARD²⁾ elementum melanosis essentielle carbonem detexit.

Secundum LASSAIGNE³⁾, qui equorum melanoses perscrutationi chemicae subjecit, haec iis sunt elementa: materies fibrosa, pigmentum nigrum, quod in acido sulphurico diluto et in natro subcarbonico solvitur et rubescit, paululum albuminis et materiaram anorganicarum natron muriaticum et subcarbonicum, calx phosphorica, ferrum oxydatum.

BARRUEL⁴⁾ in tumoribus melanoticis invenit: cruorem sanguinis cum minore fibrinae quantitate, conditione propria, peculiari modo mutatum, tres diversas substantias pingues, calcem phosphoricam, ferrum.

Accuratissimam explorationem cl. Foy⁵⁾ instituit simul quantitativam elementorum melanosis rationem eruendam appetens; reperit in melanosibus haec:

Albuminis	43,00
Materiae fibrosae	6,25
Pigmenti carbone abundantis	51,40

¹⁾ Traité de l'ausc. med. t. II. pag. 320.

²⁾ Andral's Grundriss der path. Anat. I. Thl. p. 355.

³⁾ ibidem.

⁴⁾ Considérat. sur une altérat. organ. etc. par Breschet.

⁵⁾ Arch. génér. de médecine. Juin 1828.

Aquae	18,75
Ferri oxydati	1,75
Salium diversorum	27,25
	<hr/>
	40,000

Cunctae haec experimenta nos edocent, melanosos imprimis constare ex diversis sanguinis elementis, quibuscum conjunctum est pigmentum nigrum, plus minus quidem sanguinis cruori analogicum, sed insolita carbonis copia eminens.

§. 5.

Symptomata, decursus, exitus.

Non mirum est, quod medici quoad melanosium symptomatologiam aequè dissideant, ac quoad facta pathologico-anatomica. Alteri melanosi adscribunt effectus, quos modo morbi canerosi gignere possunt; alteri solos effectus mechanicos, ipsa melanosium praesentia organi cujusdam functionis perturbationem effectam, hujus morbi signa agnoscunt. Quodsi historice medicorum opiniones probamus, iterum iterumque clare LAENNEC¹⁾ primus debetur locus; de melanosis pulmonum signis affert quae sequuntur:

„Parmi les effets généraux le plus constant est la diminution graduelle des forces vitales, et une altération très marquée dans la nutrition, d'où résultent un amaigrissement considérable et l'hydropisie du tissu cellulaire, quelquefois même celle des membranes séreuses. Les sujets que j'ai vu mourir par suite du développement de mélanoses dans un organe quelconque, et ceux même chez lesquels cette matière occupait une grande partie du poumon, n'avaient pas de fièvre continue et bien marquée. Les effets locaux les plus constans des mélanoses développées dans le tissu du poumon sont une dyspnée proportionnée à l'étendue de l'affection, et une toux

¹⁾ Traité de l'ausc. méd. t. II. pag. 317.

souvent sèche, quelquefois accompagnée d'une expectoration pituiteuse, mêlée assez ordinairement de quelques crachats puriformes."

Lubenter consentimus, haec symptomata recte esse instituta; ut ea vero ad melanosis diagnosin ab aliis pulmonum morbis similibus condendam non sufficiant, ipse LAENNEC missis ambagibus largitur.

ANDRAL 1) jamjam in diversa abit: „Die Symptome" inquit, „welche die Melanose veranlasst, sind nicht besonderer Art; die sie begleitenden Zufälle scheinen bedingt zu werden:

1) Durch die chronische Irritation, welche so häufig als Ursache oder als Wirkung mit ihr vorkommt.

2) Durch die gleichzeitige Gegenwart anderer Afterprodukte.

3) Durch die mechanische Störung, welche sie, wie jeder fremde Körper bewirkt, wo sie, in grössern Massen vorhanden, das organische Parenchym, worin sie gebildet ist, zusammendrückt. —

CRUVEILHIER 2) opinatur: „dans tous les cas leur effet se borne à gêner mécaniquement les fonctions; et s'ils causent la mort, c'est en altérant progressivement la nutrition: il n'y a jamais ni la fièvre hectique de l'affection tuberculeuse, ni l'altération profonde de la cachexie cancéreuse."

HOPE 3) in symptomatibus melanosis enumerandis cl. ANDRAL assentitur.

Tres autores modo commemorati cum pulmonum indurationem pneumonia chronica effectam, accedente fere per illam producta materiae nigrae depositione, eandem vim habentem putent quam melanosis, etiam confiteantur oportet 4), mel-

1) Grundr. der path. Anat. I. Thl. pag. 368.

2) Essai sur l'anat. pathol. en général. Paris 1816. t. I. pag. 93.

3) Principl. and illustr. of morbid anat. p. 53.

4) Andral: Cours de path. int. t. I. p. 421.

nosin a pneumonia chronica discerni non posse. Cujus conclusionis vero propositionem esse falsam, jam supra probavimus.

WILLIAMS ¹⁾ quoque melanosium diagnosin non adjuvit dicendo: „Die allgemeinen Zeichen dieser Affektion deuten gewöhnlich mehr auf eine Störung im Kreislauf hin (wie Wassersucht, unterdrücktes Athmen etc.) als auf Mangel der Ernährung, wie bei der Tuberkelkrankheit.“

Sed exempla non pauca in scriptorum operibus adnotata invenimus, quibus ipsa macies celeriter crescens signum melanosos characteristicum, e. gr. apud LAENNEC ²⁾, dicitur.

Illustr. SCHOENLEIN, qui melanosos pulmonum casum nobis describendum recte dum aeger vivebat jam agnovit, in sermone, quem aestate praeterita hac de re in clinico medico habuit, mentionem fecit, ipsum eo respectu ab autoribus, qui ad hoc tempus de melanosos scripserint, dissidere, ut melanosos pulmonum diagnosin fieri posse, quamvis sit difficillima, arbitretur. Quam ad condendam haec constituit:

1) *Symptomata topica.* Maxima respirationis molestia, dyspnoea, interdum ad vesperam vel veri impetus asthmatici, tussicula rarior, sicca; nonnullis in casibus massae nigricantes, mucum bronchiale carbonis pulveris instar colorantes, ejiciuntur; pectoris exploratione per percussione et auscultationem affectio non satis explicatur: melanosos nascentibus tonus sonorus, respiratio normalis, deinde tonus languescit, murmur respiratorium fit obscurius, in dies evanescens — omnia tuberculorum adhuc crudorum similia.

2) *Symptomata generalia.* Imprimis cutis externa conditionis ratio est habenda, quaenam est fusco-flava, livida, vel ut in ictero nigro, nonnunquam massae rotundae, atrae, a pisi usque ad avellanae magnitudinem, non dolentes, satis mobiles

1) Pathol. u. Diagn. der Krankheiten der Brust pag. 161.

2) Traité de l'ausc. méd. t. II. pag. 317.

apparent sub cute, plerumque venarum cutanearum majorum in vicinia. Urina fusca, persaepe cum sedimentis fusco-atris; qui vero color fuscus secundum cl. LASSAIGNE ¹⁾ indagations non pendet a bilis pigmento, sed a cruore sanguinis mutato; verisimillimum est ut cruor iste modificatus conveniat cum acido melanico a cl. PROUT ²⁾ in urina detecto. Faeces fere colore fusco sunt infectae. Quo accedit maximae debilitatis sensus, velox emaciationis incrementum colliquatione quaque absente.

Sagacissime a celeb. SCHOENLEIN conceptis pulmonum melanosis signis symptoma quoddam negativum, jam a cl. LAENNEC ⁴⁾ non ignoratum, adjiciamus, scilicet febris hecticae, etiam in casu quem nos observavimus non adsentis, absentiam. Observationes, quas SCHILLING ⁴⁾, FAWDINGTON ⁵⁾, CULLEN et CARSWELL ⁶⁾ de feбри hectica nonnunquam praesenti nobis communicarunt, ad melanosin universalem, non pulmonum, pertinent. Cl. WILLIAMS ⁷⁾ quidem ait, in melanosis pulmonum casu ipsum sputa nigra febremque hecticam animadvertisse, quum vero hunc casum accuratius non describat, nos movere nequit, ut phthisin melanoticam pulmonarem statuamus.

Ad excavationum in pulmone melanoticarum praesentiam probandam medicarum rerum scriptores plerumque cl. BAYLE ⁸⁾ obs. XX. et XXI. laudant, quibus solis casibus *phthisis melanoticam* (*phthisie avec mélanoses*) sine complicatione adesse dixit. Auctor ille clarus enarrat, pulmonum parenchyma a materie melanotica usque eo fuisse infiltratum, ut densitate jecur sanum

¹⁾ Philosoph. transact. for 1812. part the 2d. pag. 179.

²⁾ Schweigger's Journ. f. Chemie. Vol. 36. pag. 388 sqq.

³⁾ Traité de l'ause. méd. t. II. pag. 317.

⁴⁾ Dissert. de melanosi pag. 50.

⁵⁾ Transact. of the med. chir. society of Edinb. 1824. pag. 264. sqq.

⁶⁾ A case of melanosis illustrated by coloured lithographic plates. London 1826. pag. 14.

⁷⁾ Path. und Diagn. der Brustkrankheiten. pag. 161.

⁸⁾ Recherches sur la phthisie pulmonaire. Paris 1810.

aequarit cultro insecante frendens; nonnullis hujus materiei portionibus mollitis minorum cavitatum perspicuarum copiam esse formatam cum bronchiis communicantium. LAENNEC¹⁾ putat, utramque observationem argumentis quibus resisti nequeat excavationes melanoticas in pulmone occurrentes probare, quod ANDRAL²⁾ vero impugnat, quia excavationes illae melanosium emollitioni adscribi non possent, et recte quidem, his ex causis: primo vita durante expectoratio nigra non habuit locum, tum in sectione nullus liquor ater nec in bronchiis, nec in ipsis quidem excavationibus, secundum cl. BAYLE membrana purulenta investitis, repertus est. Quod vero attinet ad cl. ANDRAL³⁾ atque SCHILLING⁴⁾ sententiam, has excavationes probabiliter a tuberculis diffluentibus pependisse, tamen expresso celeb. BAYLE, investigatoris accuratissimi, testimonio fidum habeamus oportet, affirmantis, tubercula non adfuisse: sed potius cum cl. SCHILLING arbitramur, antea pneumoniam chronicam exstiterit, quae pulmonum indurationem effecerit, quacum posthac color niger sese consociaverit; denique nos et contra SCHILLING ex causa commemorata contendimus, pulmones *ad hepatis similitudinem mutatos*, non quod tubercula diffluentia adfuissent, in exulcerationem transiisse. Eo vero iterum cl. SCHILLING consentimus, quod ex factis adhuc notis phthisin melanoticam pulmonum statuere non possimus.

Quod attinet ad spatium temporis, intra quod melanosis pulmonum decurrat, omnia data sufficientia nobis desunt: in casu quem nos observavimus tempus ex illo momento, quo primo aegrotus symptomata subjectiva molestiora sensit, usque ad mortem circiter hebdomades decem aequabat.

1) Traité de l'ausc. méd. t. II. pag. 318.

2) Dict. de médecine. t. XIV. Art. mélanose.

3) ibidem.

4) Diss. de melanosi pag. 28.

Solus quem nos novimus *exitus* melanosis pulmonum est *mors*, quippe quae evenit:

1) *Per affectionem ipsam* signis febris torpidae surgentibus¹⁾: macies debilitasque aegroti summum assequuntur fastigium; saepe extremitatum oedema accedit; pulsus arteriarum nunc est acceleratus sed ex debilitate; cutis sicca vel simul eum calore mordace vel cum extremitatum frigore; lingua sicca, rimosa, fusca; sitis immensa, cibi appetitus nullus; facies collapsa; denique sopor, mors.

2) *Per pleurae*²⁾ *vel pericardii*³⁾ *hydropem* sanguinis circulatione perturbata sese evolventem: qua complicatione melanosis atque hydropis symptomata sunt inter se conjuncta.

§. 4.

Aetiologia.

Melanosis in hominibus et in animalibus occurrit; cl. LAENNEC⁴⁾ conjectura, eam solis carnivoris inesse, non est affirmata; BRESCHET eam reperit in equis, canibus, felibus, caniculis, gliribus, muribus, OTTO⁵⁾ in cervis, JAEGER⁶⁾ in ardea et in platalea leucorodia; DUPUY⁷⁾ ab aliis confirmatam fecit observationem, equorum melanoses imprimis equis albis griseisque esse proprias.

De melanosis pulmonum *aetiologia* nihil pro certo habemus; pauca quae sequuntur modo majorem vel minorem probabilitatis gradum adpetere possunt. LAENNEC⁸⁾ nonnunquam animadver-

¹⁾ Schilling, de melanosi pag. 30.

²⁾ Laennec, traité de l'ausc. méd. t. II. p. 319. Breschet, consid. sur une altérat. organ. etc. pag. 98.

³⁾ Schilling l. l.

⁴⁾ l. c. pag. 322.

⁵⁾ Lehrbuch der pathol. Anat. Berlin 1830. 1. Bd. pag. 70.

⁶⁾ Meckel's Archiv f. Physiol. Bd. V. Heft 4. pag. 491.

⁷⁾ Journ. de médec. vétérin. t. II. pag. 273.

⁸⁾ Traité de l'ausc. méd. t. II. p. 322.

tisse sibi videtur, continuam carbonis et lucernae oleariae vaporum inspirationem melanosibus pulmonum orientibus favere; observationes quoque nonnullae Dr. GREGORY¹⁾ et Dr. W. THOMSON²⁾ hanc hypothesin adjuverent, nisi esset verisimillimum, omnes casus istos ad cl. SCHILLING melanosin benignam, cui nos melanosin nomen denegamus, esse referendos. QUUM MARTIN-SOLON³⁾ atque LOBSTEIN⁴⁾ sequamur, morbus noster homines aetate proveciores frequentius invadit quam juniores. SCHILLING⁵⁾ causas praedisponentes has profert: mediam vitae aetatem, intra annum quadragesimum et sexagesimum; sexuum femininum; constitutionem quae dicitur atra-biliaris, venositate aucta, nimia carbonis in sanguine abundantia eminentem; temperamentum melancholicum; vitae rationem quae corporis humores deteriores atque insaniore reddat; denique pulmonum morbos qui praecesserint.

§. 5.

Prognosis.

Prognosis pessima, cum in melanosi nostra, arctioribus inclusa carceribus, tantum cl. LAENNEC melanosin in massis, et cl. SCHILLING melanosin malignam complectenti, serius ocius semper mors, nunquam sanatio, eveniat; quos intra terminos constitutos prognosis ad haec momenta se accommodat:

- 1) Ad symptomatum topicorum et generalium quae supra enumeravimus vehementiam.
- 2) Utrum melanosin solis in pulmonibus occurrat, an etiam alia organa corripit.
- 5) Utrum hydrothorax, anasarca melanosi sese jungat.

1) Transact. of the med. chir. society of Edinb. No. 109.

2) l. c. No. 121.

3) Dict. de méd. et de chir. prat. t. XI. p. 393.

4) Lehrb. der path. Anat. 1. Bd. pag. 397.

5) Diss. de melanosi. pag. 34.

4) Utrum febris torpida jam surrexerit; quod cum ita sit, proxima imminet mors.

§. 6.

Therapia.

Siquidem insanabilem pulmonum melanosis indolem non ignoramus, tantum palliativam curationem huic morbo admove-
re possumus; medicorum igitur est, earum indicationum habere
rationem:

- 1) Respirationis molestiae sunt temperandae expectoran-
tibus, incitamentis ad cutem externam applicatis, narcoticis.
- 2) Vires sunt sustentandae diaeta nutrienti, haud irritanti.
- 3) Hydrops medicamentis aptis repellendus.
- 4) Febri torpida semel orta, china, naphthis omnibusque inci-
tamentis vitam perpaucos solos dies producemus.

Huic exiguo de melanosi pulmonum libello casus hujus morbi
enarrationem adjiciemus, quem aestate praeterita in nosocomio
Turicensi observandi nobis est data occasio, illustr. SCHOENLEIN be-
nignissime nobis veniam dante, illius casus historiam promulgandi.

Historia melanosis pulmonum.

JOH. SCHIRTER, sutor, quinquaginta annos natus, temperamento
melancholico, statura macra, die XII. Aug. 1857 in nosocomio
Turicensi recipiebatur, quod jam inde a sex hebdomadibus respi-
rationis molestiis vehementibus, praecipue auctis cum scalam
ascenderet, laborabat. Exploratione haec eruebantur: aeger
colore fusco est infectus propemodum ut in melanictero, hepar
tamen morbosum non videtur; non est tussis; nec percussione
nec auscultatione morbosae pulmonum vel cordis affectiones
ostendi possunt; abdomen paululum contractum, sed molle;
alvi constipatio. Illius, sutoris, vitae habita ratione, hypochon-
driacus putabatur, quare tantum extracta saponacea cum Rheo
in aqua aromatica soluta ei administrabantur.

Quum diebus paucis post veri impetus asthmatici aegrotum incesserent, ejus in pectore emplastrum picis Burgundicae ponebatur; ad usum internum recepit pulverem radicis Ipeacuanhae cum floribus Benzoës, qui vero respirationem difficilem non levabat.

Die XXVI. Aug. repente hydrops utriusque pleurae apparuit his signis: tonus in percussione inter ambas papillas mamillares et diaphragma languidus, obtusus, ope stethoscopi ibidem respiratio nulla animadvertitur, in lobo superiori utriusque pulmonis murmur respiratorium normale. Huc accedit vehementior pectoris oppressio, nunc constans, noctu impetus asthmatici, tussis continua, vexans, sicca. Urina incipit quantitate minori reddi; pulsus parvus, debilis, non acceleratus; cutis sicca, extremitatum temperatura frigida. Aegrotò vesicatorium ad pectus applicabatur; in usum internum haec mixtura praescribatur:

Rp. Inf. herb. Digit. (ex scr. β) Unc. vi

Gumm. Ammoniac. Dr. i

Liq. Kali acet. Unc. i β

Tinct. Digit. aeth. Dr. i

Syrup. Alth. Dr. vi

M. D. S. Quaque hora cochlear unum.

D. XXX. Aug. Nocte postrema vehemens tussis suffocativa ingressa est; hora matutina, qua aegrum vidimus, respiratio tantum fiebat per diaphragma musculosque abdominis. Sanguinis circulatione in pulmonibus perturbata cor dextrum nimis est impletum, idcirco pulsatio in scrobiculo cordis. Pulsus adhuc satis tranquillus; urina sensim e flavo fusca redditur.

D. II. Sept. Aegroti languor in dies crescit; emaciatio velocissima nulla praesente colliquatione; cutis e livido fusca; dyspnoea vehemens, tussicula sicca; claviculam inter et papillam mamillarem utrimque tonus in percussione clarus, respiratio normalis, inde deorsum usque ad diaphragma tonus in percussione

quidem obtusior, ope stethoscopi vero murmur respiratorium etsi valde diminutum, tamen omni sono spurio destitutum auditur. Cordis tonus dextrorsum longius extensus; ejus motus diffusior, non in loco normali intra costam quintam et sextam; ejus soni majore in spatio audiuntur sed clari; impulsus modicus. Abdomen ut prius paullulum contractum, molle, hypochondrium sinistrum molle, non dolens, dextrum tumidum, pressioni intensiori sensibile. Faeces atro-fuscae; urina minore quantitate mittitur, colore fusco infecta.

Quibus signis ductus, clariss. SCHOENLEIN hanc sagacissimam instituit diagnosin, postea sectione facta totam confirmatam: hydrodrops thoracis diminuit, sed pseudorganisations, quae sanguinis circulationem inhibeant, eoque hydrothoracem atque congestionis venosae signa in corde dextro et in hepate effecerint, in pulmonibus adsint necesse est. Cujusnam vero indolis sunt pseudoplasmata ista? Quodsi tubercula essent, verisimiliter in superioribus pulmonum lobis occurrerent, et hoc in stadio, cum malum jam tantos fecerit progressus, procul dubio rhonchus mucosus, vel jam cavernosus, tussis vehementior cum sputis peculiaribus, et febris hectica praesto esset. Aegri color, ut aeris fusi, urina fusca, ejus color non pendet a bilis pigmento, faeces e nigro fuscae, murmur respiratorium non distinctum, sonis spuriis destitutum — omnia affirmant opinionem, *in lobis utriusque pulmonis inferioribus massas melanoticas esse evolutas*. Quae cum ita se habeant, artis medendi terminum adepti sumus, solo subsidio palliativo nobis relicto.

D. V. Sept. Macies magis magisque increscit sine ulla colliquatione nec febre — vera adest tabes sicca. In inferiore pulmonis sinistri parte tonus fit paulo clarior; cetera signa eadem.

D. VII. Sept. Debilitas sicut emaciatio summum fastigium assecutae sunt; colliquatio nulla; sensim pedetentimque febris torpida surgit: pulsus acceleratus ex debilitate; cutis sicca, flaccida, frigida; lingua sicca, limosa; sitis immensa, nullus edendi

appetitus; tensio doloresque hypochondrii dextri augentur; extremitates livescunt — signum proxime instantis diei fatalis.

Therapia: ad vitam quantum fieri potest proferendam, et ad vires adjuvandas incitamenta leniora sunt indicata; contra sitim vexantem aqua cum paulo vini permittitur, in usum internum haec mixtura est praescripta:

Rp. Inf. cort. Chin. (ex Unc. β) Unc. vi

Spir. sulphur. aether. Dr. β

Mucilag. arabic.

Syrup. Alth. ana Unc. β .

M. D. S. Quavis hora cochlear unum.

Cunctis signis auctis, quibus tandem status soporosus subveniebat, die XI. Sept. aeger mortem tranquillam occubuit.

Sectione, hora tricesima sexta post obitum instituta, haec eruebantur:

1) *In cavo abdominis*. Hepatis volumen auctum, substantia ejus mollis, color homogeneous, ex atro fuscus — igitur hepar est in conditione congestionis venosae; omnes venae abdominales mirum in modum sanguine nigro oppletae; adipis ne vestigium quidem repertum.

2) *In cavo thoracis*. Pleura dextra lymphae coagulabilis strato obducta, ejus in sacco aquae turbidae librae duae, superior pulmonis lobus cum pleura costali concretus; pleura sinistra lymphae non induta, ejus in cavo aquae libra una.

Pulmonum parenchyma insigniter nigrum se praebuit; disquisitione accuratiore in lobo inferiore sinistri, in inferiore et medio dextri pulmonis, praecipue majores bronchiorum ramos versus, dispersi tumores melanotici, rotundi, nigri, a grani millii usque ad avellanae magnitudinem, reperti sunt. Massae melanoticae tenera cysta cellulosa erant circumdatae, consistentia glandularum lymphaticarum, digitum eas tangentem paulumque prementem colore nigro inficientes; in medio quasi nucleum duriores continebant; fibrae telae cellulosae, a sub-

stantia melanotica nigrae redditae, a cysta cellulosa procedentes, massas illas pervagabantur, quae majores bronchiorum ramos versus grandiores erant, passimque diffluere incipiebant; excavationes autem nusquam inveniri poterant.

Pericardium ad pleuram agglutinatum, cor dextrum dilatatum, substantia ejus friabilis, mollissima, sanguis in eo contentus liquidus, niger, dissolutus.

Addendum est, *nervum vagum* utrumque magnum in modum sanguine esse infiltratum.

Theses defendendae.

- 1) Nulla sanguinis circulatio.
- 2) N. hypoglossus revera n. intervertebralis.
- 5) Causa testiculorum descensus ignota.
- 4) Pus organorum omnium idem.
- 5) Dolor ad inflammationis diagnosin non necessarius.
- 6) Arteriotomia rejicienda.
- 7) Lithonritia praestat lithotomiae.
- 8) Trepanatio ut remedium prophylacticum adhibenda.
- 9) Tracheotomia in angina membranacea non rejicienda.
- 10) Ars obstetricia a solis feminis exercenda.
- 11) Delirium tremens non phlogisticum.
- 12) Asthma thymicum a glandulae thymi hypertrophia non pendet.